

suis creaturis providere, ut finem suum assequi possint, et licet illud adjutorium in rigore esset ultra concursum naturæ debitum, non esset ultra providentiam consentaneam, tum magnificentiæ et providentiæ Dei, tum excellentiæ humanæ naturæ pure ac præcise spectatæ. Sic enim homo in puris naturalibus majorem dependentiam in omnibus actionibus suis a Deo recognosceret. Item posset ab illo petere et suo modo orare excitationem bonarum cogitationum et affectuum, præcipue in necessariis occasionibus et temporibus opportunis, sicut petere posset pluvias et alia bona temporalia. Item quia consentaneum est ut Deus unicuique naturæ provideat juxta modum suum, et ut rationalium creaturarum majorem curam habeat, etiam intra ordinem providentiæ naturalis, quam brutorum. Item hoc modo homines haberent unde magis timerent et amarent Deum, si crederent non solum illis providere per causas secundas, conservando ordinem earum quem semel constituit, sed etiam aliquando vel eas aliter applicando per se, vel per Angelos, vel immediate internas hominum species frequentius et efficacius excitando. Denique ad excellentiam naturæ humanæ pertinet ut Deus immediate creet animam, ubi virtus ipsius naturæ deficit; et universo providet Deus movendo aquam sursum ad replendum vacuum; cur ergo idem Deus, ut auctor naturæ, non præberet homini indigenti hoc altius providentiæ genus, præbendo illi adjutorium prout expedire censeret? Unde illud adjutorium non esset tam propria gratia, sicut nunc est simile auxilium datum homini lapsio. Nam hoc auxilium, prout nunc datur fidelibus, etiam peccatoribus, ordinariè est supernaturale, vel saltem per media supernaturalia obtinetur, nimirum, fidem, et orationem ex illa, ut dictum est. In statu autem puræ naturæ, tale auxilium solum daretur per inspirationes, cogitationes affectionesque honestas liberaliori modo immissas, utique ultra communem cursum externarum causarum.

11. *Respondetur tacite interrogationi de discrimine auxilii infidelium, et status naturæ puræ.* — Quod si nunc consideretur tale auxilium respectu infidelium, jam dictum est nunquam eis dari. Verumtamen licet daretur, haberet in eis majorem rationem gratiæ, quia ratione peccati originalis indigni sunt etiam illa gratia; in statu autem purorum naturalium ex parte hominis non esset illa indignitas seu demeritum talis beneficii, quod nunc est ratione culpæ originalis, et ideo quidquid

nunc datur ultra generalem concursum, peculiarem rationem gratiæ habet. Secundo, quia tunc non daretur illud adjutorium in ordine ad supernaturalem finem, sed tantum propter beatitudinem naturalem; nunc autem omne auxilium speciale datur propter supernaturalem finem. Tertio, fieri potuit ut in illo statu adjutorium illud non omnino gratis daretur, sed juxta hominis dispositionem et cooperationem, nam ratio præmii et meriti, ut sumitur ex D. Thom. 1. 2, q. 21, etiam in ordine providentiæ naturalis locum habet, sicut culpa et supplicium. Deinde esset aliqua proportio inter naturale opus honestum et hoc naturale adjutorium, et ideo verisimile est quod Deus non daret illud nisi hominibus bene utentibus prioribus occasionibus bene operandi, quas ipse naturalium causarum cursus offerret. Quod tamen nunc locum non habet, sed prima auxilia omnino gratis dantur, quia vel supernaturalia sunt, et naturalia opera non habent eum illis proportionem in ratione meriti vel dispositionis, ut infra dicitur; vel si auxilia sint ordinis naturalis, opera ipsa moralia hominis lapsi et infidelis deficient a propria ratione meriti propter personæ indignitatem, quod non haberent opera hominis in pura natura, priusquam peccaret, ut notavit Medina loco allegato.

12. *Ad primam rationem in num. 1.* — Atque ex his facilis est responsio ad priores rationes dubitandi. Ad primam enim recte ibi dictum est quodecumque præceptum naturale esse per se possibile, quod satis est ut ejus transgressio ad peccatum imputetur. Quæ est expressa responsio Hieronymi tractantis de homine lapsio in dicto dialog. 1, contra Pelagian. Est autem quoad hoc eadem ratio de homine puro. Unde quod Augustinus dixit libr. de Correctione. et Grat., cap. 11: *Si adjutorium quo posset permanere si vellet, vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quia non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset permanere si vellet, non utique sua culpa cecidisset.* Hoc (inquam) intelligendum esse existimo de adjutorio ad vitandum illud speciale peccatum, in quod lapsi fuerunt; si enim non haberent adjutorium quo illud vitare possent, si vellet, non libere peccassent, ac proinde nec peccassent. Non est autem eadem ratio de adjutorio sine quo non potest homo vitare peccatum longo tempore, etiamsi velit vel desideret, quia licet homini in principio denegaretur tale adjutorium, nihilominus maneret liber in singulis actibus, et potens aliquo

modo sufficienti ad vitandum unumquemque lapsus, ideoque illi imputaretur. Verumtamen, quia, non procedente ex parte hominis culpa, illa esset nimis dura et insuavis providentia Dei, ideo primum hominem a se creatum per donum justitiæ originalis adjuvit, et dedit illi absolutam potestatem ad servandam naturalem legem quocumque tempore: et verisimile est, si creasset hominem sine illo dono in pura natura, adjutorium fuisse illum alio ad non peccandum contra legem naturæ, et ut id simpliciter posset longo tempore.

13. *Ad replicam in num. 2. — Ad primam confirmationem in eodem num. 2.* — Unde ad replicam de multitudine præceptorum, dicendum est illud onus non esse ab extrinseco superadditum naturæ humanæ; sed esse veluti proprietatem consequentem naturam, quam Deus impedire non debuit. Oritur autem a natura hominis secundum eam partem qua spiritualis est, respectu cujus, secundum se considerata, facile esset omnia illa præcepta servare; tamen quia illa spiritualis pars corruptibili corpori conjungitur, inde nascitur difficultas in ea lege servanda. Quapropter sicut mirabilis est compositio ex rebus adeo distantibus et quasi contrariis, ita mirandum non est quod in ea natura sint multa præcepta naturalia cum interna difficultate ad illa observanda, quæ, nisi per majus adjutorium auctoris naturæ, quam sit solus concursus universalis, servari non possent. Idemque fere est de consecutione beatitudinis naturalis, de qua procedebat prima confirmatio, ad quam per secundam assertionem responsum est.

14. *Ad secundam in num. 3.* — Ad ultimam vero confirmationem, quæ procedere potest contra utramque assertionem, aliqui respondent, deficiente illo peculiari adjutorio Dei, necessarium esse ut homo perveniat interdum ad occasiones certas, in quibus non possit legem naturæ servare sola arbitrii libertate. Sed licet hoc verum sit quando interveniunt determinatæ tentationes graves, tamen quando illæ deficient, id non est necessarium, et nihilominus etiam tunc esset adjutorium necessarium ad servandam totam legem naturæ longo tempore et sine lapsu gravi. Et ideo responderi potest primo, negando consequentiam: est enim a divisa seu determinata designatione singulorum ad confusam collectionem, quæ non est formalis, nec bona, ut cum Hieronymo in Dialogis contra Pelagian. supra exemplis monstratum est. Et ratio etiam est supra tacta, quia impossibilitas quæ reperitur

in tota collectione, est diversæ rationis a possibilitate quæ in singulis actibus vel momentis determinate sumptis reperitur. Et ideo non sunt contrariæ, neque ab una ad alteram est bona illatio. Nam potentia vitandi singula peccata provenit ex naturali indifferentia liberi arbitrii, quæ non tollitur ab objecto creato cum quibuscumque determinatis circumstantiis per rationem applicato; impotentia vero respectu collectionis provenit ex impedimentis occurrentibus, et inconstantia naturali, ac mutabilitate liberi arbitrii. Et hinc fit ut, licet unaquæque occasio servandi præceptum et possibilis et facilis appareat, nihilominus in illarum continuatione et frequentia est peculiaris difficultas, quæ naturaliter superari non potest, et hæc omittitur et non consideratur in argumento, et ideo collectio non recte fit.

15. *Progreditur proxima responsio secundæ confirmationi. — Ad tertiam confirmationem.* — Neque obstat quod unus actus bonus, quo præceptum impletur vel vitatur peccatum, de se inducat dispositionem ad alium similem; tum quia in ipsis tentationibus et occasionibus est varietas, ideoque sæpe dispositio relicta ex uno actu non juvat in alia occasione occurrente; tum etiam quia multo major est difficultas quæ ex mole corporis et fatigatione sensuum est, et naturali quodam tædio persistendi in eodem modo operandi nascitur; tum denique quia illa dispositio, quæ per unum vel alterum actum inducitur, debilissima est et parum juvat, et ipsamet infirmitas et fragilitas humana, si gratia destituatur, non sinit illam dispositionem crescere, nam statim per plures actus perdit quod per unum acquisierat, ut de acquisitione virtutum paulo inferius dicemus. Aliter etiam posset in forma responderi, negando antecedens cum proportionem sumptum; cum enim dicitur: Post primum actum vitandi peccatum, potest homo facere secundum, et, post secundum, tertium, et sic deinceps; licet hoc antecedens sit verum de potentia physica et morali præcise spectata in ordine ad unumquemque actum determinate, non tamen simpliciter est verum respectu potentiæ moralis considerata in ordine ad totam illam actuum successionem; secundum quam potentiam, totum id quod in antecedenti sumitur, non potest simpliciter fieri, quia in aliquo necessario deficiet, licet non possit designari aliquis definitus actus, vel determinatum tempus, pro quo illa necessitas reperitur. Et ita quod mente cogitatur proponiturque ut constanter faciendum, per successionem unius post aliud, non

potest in re executioni mandari cum illa uniformitate, nisi flexibile arbitrium et tot hostibus circumseptum adjutorio gratiæ confortetur. Tertia confirmatio solum ostendit difficilius adhuc nunc abstineri a peccatis sine gratia quam fieret in pura natura; non tamen ostendit illud tunc fuisse moraliter possibile.

CAPUT XXIX.

UTRUM HOMO LAPSUS POSSIT ELICERE SOLIS VIRIBUS LIBERI ARBITRII, SINE AUXILIO GRATIÆ, ALIQUEM ACTUM DILECTIONIS DEI, SALTEM UT AUCTOR EST ET FINIS NATURALIS.

1. *Introducitur questio. Prima notatio duplicis considerationis de Deo.* — Diximus de bonis actibus quibus ex accidenti aliqua difficultas adjungitur; nunc dicendum sequitur de nonnullis qui, præter dicta impedimenta, ex objecto gravem aliquam difficultatem habent. Inter quos primum locum tenet amor Dei, propter excellentiam objecti, et ideo de illo specialiter movent quæstionem D. Thom., dicta quæst. 109, art. 3, et cæteri Theologi in 2, dist. 28. Ut autem clarius procedamus, oportet supponere communem distinctionem de Deo, ut prima causa naturalis est, et finis ultimus connaturalis homini, ut in pura sua natura spectato; vel ut est auctor supernaturalis et gratiæ, ac objectum beatitudinis supernaturalis. Nam priori modo censetur Deus bonum naturale hominis, ac proinde per se loquendo naturaliter diligibilis, posteriori autem modo spectatur Deus ut bonum excedens hominis naturam, ac proinde illi supernaturale. In præsentem ergo non tractamus de amore Dei, ut est supernaturale bonum hominis, nam de hoc dicturi sumus in libro sequenti; nunc autem supponimus illum amorem non pertinere ad ordinem naturæ, ideoque non posse fieri sine auxilio gratiæ, saltem si perfectus sit; an vero aliquis imperfectus ejusdem materialis objecti sine viribus gratiæ haberi possit, ibi disputabitur. Hic ergo solum de Deo, ut auctore naturæ, ejusque amore tractamus.

2. *Secunda notatio duplicis amoris, perfecti et imperfecti, et utriusque explicatio.* — Deinde præmittenda est distinctio hujus amoris Dei, nam generatim loquendo potest esse aut perfectus aut imperfectus, sub qua verborum generalitate multæ distinctiones hujus amoris comprehenduntur. Quia in hoc amore multæ perfectiones spectari possunt, et ob carentiam ejusdemque illarum potest dici amor imper-

fectus, quia imperfectum dicitur ex quocumque defectu, ideoque potest hic amor multipliciter esse imperfectus. Prima igitur perfectio hujus amoris est ut sit benevolentia, quo amore amatur Deus propter seipsum, id est, vult homo Deo aliquod bonum, solum ut ei bene sit, vel ut Deo placeat, aut in ejus gloriam redundet. Ab hac autem perfectione deficit amor concupiscentiæ, quo diligit homo Deum sibi, ut ipse homo bene sit, de qua divisione dicemus statim plura et alia capite sequenti. Deinde amor, ut sit perfectus, debet esse absolutus, ut explicatur hac voce, *Volo obedire Deo*, vel gloriam ejus quærere; imperfectus autem erit, si solum in actu conditionato consistat, qui explicatur verbo *vellem*. Altera perfectio amoris est, si non solum sit absolutus, sed etiam super omnia appetitive, ut aiunt, id est, ut per amorem ita voluntas feratur in rem amatam, ut propter nullam aliam velit ab ea dimoveri: unde e converso amor Dei qui non attingit hunc gradum, dicitur simpliciter imperfectus. De hac partitione dicemus in cap. 35, ubi etiam de perfectione intensionis et imperfectione remissionis: item de perfectione constantis amoris, qui etiam efficax dici solet, et de imperfectione inconstantis seu inefficacis amoris, aliquid attingemus. Denique ad perfectionem amoris et maxime Dei, pertinet ut sit simpliciter bonus moraliter: nam si aliquam moralem malitiam habeat adjunctam, non solum imperfectus erit, sed etiam vix nomen amoris Dei merebitur. Quapropter cum in præsentem capite de amore Dei loquamur, abstrahendo ab aliis perfectionibus vel imperfectionibus, quoad hanc ultimam non abstrahimus, sed loquimur de amore Dei omnino puro et honesto; nam si aliquis est amor Dei impurus et malus, ille non solum non fit per auxilium gratiæ, sed potius non magis est a Deo quam cætera peccata. Talis autem erit si quis velit honorare Deum, ut ab eo auxilium et favorem ad suas concupiscentias explendas vel vindictam de inimico sumendam obtineat, de quo pravo amore recte intelligitur quod Augustinus dixit libro Octoginta trium quæstionum, quæst. 30, *perversum esse uti rebus quibus fruendum est.*

3. *Prima sententia negans.* His positis, fuit quorundam sententia nullum amorem Dei, sive perfectum, sive imperfectum, sive naturalem, sive supernaturalem, posse haberi sine auxilio gratiæ. In qua sententia cum exaggeratione asserenda excessit Baius in opere de Charitate, ex quo in assertionibus supra Pro-

leg. 6, cap. 2, relatis, et a Pontificibus damnatis, notatur 34, in qua refellitur distinctio duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator est, quam distinctionem dicit esse vanam et commentitiam, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitatum. Et in 36 dicit amorem naturalem (utique Dei) qui ex viribus naturæ exoritur, e sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ eam injuria Crucis Christi defendi a nonnullis Doctoribus. Ac denique in 38 generaliter sic inquit: *Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne perhibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corda diffusa, Deus diligitur.* Si ergo præter charitatem Dei nullum studiosum amorem ille auctor agnoscebat, consequenter etiam respectu ipsius Dei nullum admittebat amorem, præter charitatem, quæ non viribus liberi arbitrii, sed per solam infusionem Spiritus Sancti sit.

4. *Ejusdem sententiæ in universum spectatæ fundamentum primum ex Scriptura.* — Fundamentum hujus sententiæ in generali sumitur primo ex Scriptura, in quo non fit mentio alterius amoris Dei, nisi charitatis, quæ dicitur esse ex Deo, 1 Joan. 4; et a Deo Patre, ad Ephes. 6; et per Spiritum Sanctum diffundi, ad Roman. 5; et ad Galat. 5 inter fructus Spiritus numeratur. Neque in divina Scriptura reperitur alia dilectio Dei commendata, nisi quæ est charitas; unde sub hac voce comprehenditur quæcumque dilectio Dei, sive ut finis naturalis, sive ut supernaturalis. Et ideo impletio præceptorum moralium, quæ est proprius effectus dilectionis Dei, etiam ut est auctor naturæ, tribuitur charitati, 1 ad Corinthios 13: *Charitas patiens est, benigna est, etc.* At nulla charitas, sive perfecta, sive imperfecta haberi potest sine auxilio gratiæ, quia simpliciter in Scriptura tribuitur Spiritui Sancto. Unde sicut fides, sive inchoata, sive perfecta, non est ex viribus naturæ, sed ex auxilio gratiæ, quia simpliciter dicitur esse donum Dei, ita majori ratione de charitate seu dilectione dicendum est.

5. *Secundum fundamentum ex Concilio Arausicano, adducto ab Augustino, tractat. 102 in Joann., et libro 17 de Civitate Dei, cap. 4.* — Secundo, adduci possunt Concilia, præsertim Arausicanum, canon. 25 dicens: *Prorsus donum Dei est diligere Deum*, ubi particula *prorsus* excludit omnem distinctionem dilectionis Dei, nam quæcumque illa sit, Dei donum esse dicitur, et subjungit rationem, quia Spiritus Patris et Filii infundit charitatem cordibus nostris. Quæ ratio confirmat quod dicebamus, omnem Dei dilectionem esse aliquam charitatem. Et non parum juvat quod idem Concilium ait canon. 11: *Nemo quidem Dominum recte voverit, nisi ab illo acceperit.* Si enim recte vovere Deo sine ejus auxilio nemo potest, multo minus poterit recte amare Deum. Favet etiam Concilium Milevit., c. 4, dicens: *Utrumque donum Dei est, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus.* Et Concilium Trident., sess. 6, cap. 7, etiam initium dilectionis Dei inspirationi Spiritus Sancti tribuit.

6. *Tertium fundamentum ex Augustini doctrina.* — Præterea variis modis ostendi potest hanc esse Augustini sententiam, nam imprimis canones citati Concilii Arausicani sumpti sunt ex Augustino, ut notatum est. Deinde in multis locis supra citatis c. 9, significat quod Baius dicebat, omnem affectum qui non est ex charitate esse vitiosum, seu vitiosam cupiditatem. Unde lib. 14 de Civit., cap. 9, dicit omnes bonos motus, et rectos affectus amoris proximi, de sancta charitate venire; ergo multo magis sentit quemcumque affectum erga Deum ex charitate provenire, ac proinde non nisi ex gratiæ auxilio haberi posse. Hinc etiam lib. 4 contra Julian., c. 3: *Amor, inquit, Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo;* et statim explicat se loqui de amore creatoris. Quid est autem creator, nisi auctor naturæ? Et similiter serm. 15 de Verb. Apost. dixit: *Deus non amatur, nisi de Deo.* Item lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 17, dicit etiam parvam charitatem esse ex auxilio gratiæ; et cap. 18 docet charitatem, seu dilectionem quæ præcipitur illo præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum, etc.*, esse ex dono Dei: illo autem præcepto, cum naturale sit, non tantum præcipitur dilectio Dei auctoris supernaturalis, sed etiam auctoris naturæ: unde ait, *præcepto admonitum esse liberum arbitrium, ut quæret Dei donum;* et subjungit: *Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret;* quibus verbis aperte docet etiam imperfectam dilectionem, qua ad perfectam tenditur, esse donum Dei. Ac denique epist. 107 habet illam celebrem sententiam: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus;* ubi non dicit ad diligendum su-

tionis Dei, nam quæcumque illa sit, Dei donum esse dicitur, et subjungit rationem, quia Spiritus Patris et Filii infundit charitatem cordibus nostris. Quæ ratio confirmat quod dicebamus, omnem Dei dilectionem esse aliquam charitatem. Et non parum juvat quod idem Concilium ait canon. 11: *Nemo quidem Dominum recte voverit, nisi ab illo acceperit.* Si enim recte vovere Deo sine ejus auxilio nemo potest, multo minus poterit recte amare Deum. Favet etiam Concilium Milevit., c. 4, dicens: *Utrumque donum Dei est, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus.* Et Concilium Trident., sess. 6, cap. 7, etiam initium dilectionis Dei inspirationi Spiritus Sancti tribuit.